


I. N. D.

THES. I.



Ox Signi est ex numero πολλαχώς λεγομένων. Sumitur enim aliquando pro signo naturali, quod nempe ex sua natura & citra hominum impositionem hoc vel illud significat, sicut fumus vulgo dicitur signum naturale ignis, quia ignem nobis significat. Ubi tamen notandum, quando dicitur, quod fumus sit signum naturale ignis, illud non esse ita intelligendum, quasi fumus ad ignem nobis significandum propriè à natura sit productus & ordinatus, sed simul ac oritur fumus, collimus vulgo, adesse ignem, quia secundum naturam cum igne conjungitur, & idcirco fumus dicitur signum naturale ignis. Deinde signum sumitur pro voce, quæ rem ipsam significat propter respectum, quem habet ad rem, qui à nonnullis vocatur rationalis, non quod sit ratione præditus ille respectus, sed quia significat rem ex impositione hominum, vocatur alias hoc signum (ut notat Masius) signum ex beneplacito, sic quando nomen lupus significat certam animalis speciem, non significat eam ex sua natura, sed ex arbitrio & impositione hominum, qui ita ordinarunt hanc vocem lupus, ut significaret certam animalis speciem, quæ dicitur lupus. Hoc modo nomina & verba sunt signa rerum, quibus significandis sunt imposita. Notat hic Masius in com-

A 2

ment.